

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

EPITHALAMIA

IN NUPTIIS SECUNDIS

VIRI SOLERTISSI-
mi Dn: Ioannis Æmylij, &
Sponsæ ipsius lectissimæ Bar-
baræ, viri Amplis: Dn: Ioa-
chimi Gribenij Patricij
Berlinensis, relictæ
filix, &c.

Decantata

à

M: VALENTINO ET IOACHIMO POLTNGIS

Patruel.

CHRONODISTICHON.

LVCe bls oCtaVâ FebrVI, BLanCbVrglCa pVbes
Barbaræ & AEMILIo prospera qVæqVe sonat.


Proverb. 19. v. 14.

AEDes & DIVItæ à parentIbVs

A soLo IchoVa VXor prVDens,

Anno Christi M. D. XC.

27.
29
Ex donatione Au
17 Feb. Anno



ODE GRATU- latoria.

M. VALENTINI POELINGI SCHOL-
læ Michaelsteinensis Rect.



Vnc quando rursum colla iugo novo
Premenda præbes, quod DEVS approbat,
Mortalibus quodq; est salubre,
Splendide SPONSE, Camœna versu
Referre gaudet nostra tuum torum,
Felicior qui sit tibi comprecor
Quondam prioris quam fuere
Fata: ubi compositos amores
Solvère Parcæ lanificæ, & tibi
AEvi virentis tempore coniugem,
Præstantiorem mille gemmis,
Surripuere manu feroci.
Si fata vellent, tu CATHARIS tua
Velles superstes, filiolæ & tibi
Foret, tori consors fidelis
Quæ fuit, & specimen pudoris
Casti, mariti fulsit & ædibus,
Profundo Olympo Cypridis ut jubar
Minora præstans astra splendet.
Iam meliore nitore fulget,
Terris recepta in concilium Deum, &
Dicata castris Angelici chori,
Grates ubi solvit supremo,
Cœli habitet nitidi quod arcem.

A 2

Hac

Hæc ergo adempta, ne sine luce sint
Semper Penates, & melior tuum
Fatum sequatur sors, necesse est
Lucem aliam tibi nunc requiras.
Ceu gemma vestram quæ irradiat domum
Suo calore, & cor penetret tuum
In gaudium mutans dolorem, &
Damna tori vidui repellens.
Hoc sola præstet B A R B A R A, quæ decens
Est tota, mentis præsidio & probæ
Potens, pudor quam castus ornat,
Relligionis amorq; uerus.
Est hæc G R I B E N I patricio fatu
Prognata, cujus progenitoribus
Curæ fuit semper bonorum
Egregium decus æmulari.
Gaude ergo gaudens, atq; aliam indue
Vestem, nigrantem pone, parum decet
Velamen hoc. Sponsum, Cupido
Castus amat placiturum amicum.
Sat fata flecti, consule filia,
Tuisq; rebus, non benè tu pia
Nupta carebis, nec carebit
Parvula filia matre fida.
Quid ergo Sponsæ in colla nivalia
Venire cessas? suscipe B A R B A R A M
Cum dote grata, qua priores
Restituit D E V S ipse tædas.
Hanc unam ama, te namq; fideliter
Amabit, ut vir motibus integris
Costam colat, C H R I S T V S, requirit
Connubij socialis autor.

Et:

Et tu pudoris virginē tener
Flos, nupta jam jam legitimi tori
Futura, vultu gestuoso
Respice perspicuum Maritum.
Is ducit ortum à patre, fideliter
Summi I E H O V A E qui docuit sacra
Mandata, per quæ nos Olympi
Vivida turba sumus supremi.
Testantur illud docta volumina,
Quæ diligenti cura, animo pio,
Et nobili conscripsit arte,
Posteritasq; legit frequenter.
Quis incliti non suspicit inclitum
Vtrumq; fratrem Sponsi, in Apollinis
Insigniter Doctum arte clara, &
Conspicuum studio fideq;
Hæc Sponsa Sponsi est laus, genus & decus:
Hunc Sponsa Sponsum corde fove tuo,
Huic Sponsa Sponso dede prorsus
Te, tua prompta tui voluntas
A voce Sponsi pendeat, utpote
Conjux honestæ conjugis est caput,
At uxor est dulcis mariti
Lucida gemma, decus, corona.
Est vestra certò juncta salus, manet
Vtrosq; casus quilibet æquè, amor
Vos vinculo strictos eodem
Vnus habet: parili ergo sensu
Ambo pudicis ludite amoribus,
Iunctis columbas mentibus optimas
A Equate, lecti conjugalis
Pignora dulcia procreate:
Natos, bona qui sint similes patri
Virtute, natas, quæ referant piæ

A 3

Matris

Matris bonos mores, frequente
Prole tori sacra vincla gaudent.
Sic ambo sortis munia noverint
Suæ: maritis sic aderit favor
Divinus: illos copiosè
Sic benedictio consequetur.
Sic lite cæltus pestifera torus
Carebit: igni sic pietas sacra
Casto fovebit: Sic beatus
Fœdere fiet uterq; casto.
Sed multa Sponfos quid moneo novos?
Ligna addo sylvis, congero & in mare
Aguas, utrumq; Hymen monebit,
Quando faces feret igne sacras.
Quare carinam advertere littori
Conor meam, tu caste Pudor sate
Cœlestibus divis, tuo nunc
Munere fungere luce festa.
Hos Sponse versus candide habe tibi,
Qui fata tædis prospera concinunt,
Concedo tenues sunt, movent haud
Sesquipedalia verba cunctos.
Nec mî profecto grandia perplacent,
Sunt utq; tenues, parvæ ita sunt quoq;
Saporis expertesq; dulcis:
Attamen apta ferunt maritis.
Curas ob acres invidia quibus
Gravor, nequivi commeditarier
Excultiores, tu Camœnam
Suscipe sollicitam Valeq;.

Con=

Concludit Ioachimus :

Hæc ubi Valtinus dederat : nunc, inquit Apollo,
Tu quoque festivum da Ioachime melos.
Seria Valtini sunt carmina, plena nitoris,
Sed tua det lepidos Musa Polyngæ jocos.
Dixit : & incepit modulari carmen avenâ
Cui LUCTUS MULTUS nomina VANA dedit.

SEQUUNTUR Epigrammata Tria,

Quæ
In fœlix Conjugii omen
DOMINO IOHANNI AEMYLIO
ET BARBARÆ GRIBENIANÆ
Novis Sponsis offerebat

M: IOACH. POLYNGVS H.

Primum,

Quod
Præcinebat
AUCTOR
Resonabat
ECHO.



Montibus & sylvis & gaudens fontibus ECHO,
Accipe Pieriâ quæ dabo lege E. lege
Cur adeò gelidas Tarantara verberat auras?
BLANCBURGÆ tangit quis pede li-
men? E. Hymen.
Fortè

Fortè dat AEMILYO promissam BARBARA dextram,
 BARBARA casta Rahel, non mala Thais? E. ais
 Illanè promittis felicia foedera, quando
 Foedera sunt isthac intemerata? E. rata.
 Felix conjugium, talis si ducitur uxor:
 Dic mihi, lascivam quid sit amare? E. marc.
 O juvenum tibi turba cave: sed quæritis, illa
 Quid possit Veneris tela domare E. marc.
 Non quæras quæ fronte gerat sed pectore dotem:
 Quæ pia, quæ casta est, huic benè fide E. vide.
 Sunt, quibus est facies fallaci picta colore,
 Sed quæ, si labor hic fit modò vanus? E. anus.
 Qui flammæ igitur trahis-ô ne crede colori,
 Sit pudor & pietas famaç nota. E. nota.
 Sed quid blandidulos ECHO remoramur amores?
 Optat Sponsus amans, Sponsaç clamat E. amat.
 Si nondum lateri virgo est conjuncta mariti,
 Quæ res ingrata sunt in amore? E. moræ
 Si verò Sponsæ Sponsus requiescit in ulnis,
 Quæ res jucundæ sunt in amore? E. moræ
 Felix AEMYLIVS lectâ quia virgine gaudet,
 Cui constans animus, mens generosa E. rosa.
 Est Rosa virgo, viro meritum quæ reddit honorem,
 Si verò nimis est Nympha severa? E. fera
 AEMYLIVS noster num terèç quaterç beatus
 Sponsam candidulam dum sibi quærit? E. erit.
 Ardenti, quid erit, si complectetur amore
 Sponsam, delegit quam sibi gnavus? E. avus.
 Votum fata juvent: Instar sit BARBARA vitis,
 Alter & alterius dulce levamen E. Amen.

Epigramma



Epigramma Se- cundum.

B A R B A R A.



Arbara, Celarent, Darij didicere Sophistæ,
Lis est hinc doctis sapius orta viris.

B A R B A R A celasset vultum candore niten-
tem,
A E M Y L I V S vel adhuc tutus ab hoste
foret.

Iam verò luctatur & ardua prælia miscet,
Hostes sunt A M O R & D I V A tremenda P A P H I.
Sunt Oculi Nymphæ tentoria: dexter ocellus.
Est Veneris, lævus parve Cupido tuus.
B A R B A R A celares oculos, & victor abiret,
Si non celabis B A R B A R A, victus erit.
B A R B A R A sed celare negas: Venus, acrius instat,
Torquet & immani tela Cupido manu.
Parcite, vulnus habet, cedit: victoria vestra est,
Hastam figit humo, pharmaca grata petit.
B A R B A R A celato A E M Y L I V M, complectere vi-
ctum,
Tu, si fida voles sola juvare potes:
Virgine vulnus habet, medicamen virginis optat,
B A R B A R A præbe oculos, da labra, sanus erit.
B A R B A R A quid sinuas tam suavi labra cachinno?
Annis: A E M Y L I O nubere mitis ades.
Ridet Amor, ridetq; Venus: felicia bella,
Felicem thalamum, prospera quæq; canunt.

Barbara

Barbara, Celarent, maneant documenta Scholarum,
 Et moveant doctjs plurima bella viris.
 B A R B A R A celasset tam pulcros luminis orbes,
 In viduâ vel adhuc viveret I L L E domo.
 Sed benè consuluit renovato C H R I S T V S amori,
 A E M Y L I I facta est B A R B A R A Sponsa viri.
 Felix virgo viro tali, vir virgine: longum
 Vivite, quàm cepit, tam benè cedat amor.
 Vobis fundat opes fœcundo Copia cornu,
 Aspirentq; thoro prospera Fata D E U M.
 Terogo pro Strenis ô C H R I S T E puelle, puellum
 N A T A L I Sponsis da redeunte novis.

Epigramma Tertium.

I O C V S.




Nte fores templi nuptam ducturus ad Aram
 Fertur suos prius exuisse calceos.
 Cur hoc? quæsitum est: quia C H R I S T V S,
 reddidit, ipse
 Nudo petebat triste supplicium pede.
 Cui dat jura loquax & non tractabilis uxor,
 In propriâ Crucem & Rotam videt domo.
 Tu verò A E M Y L I crepidas ne detrahe plantis,
 Indutus ad Delubra adesto calceis.
 Non datur imperiosa tibi. Ins B A R B A R A nullum
 Ambient, nisi ut tuis in ulnis dormiat.
 Cui talis nubit, mediæ vel tempore brumæ
 Illi domus spirat Rosas & Lilia.

H O C A D D O.

C H R I S T V S, Amor, Fortuna, beët, confirmet, inundet,
 Sponfos, corda, domum, pignore, pace, bonis.
 Tantum.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





Nov 1996

8

ULB Halle 3
 002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





EPITHALAMIA

IN NUPTIIS SECUNDIS

VIRI SOLERTISSI-
mi Dn: Ioannis Æmylij, &
Sponsæ ipsius lectissimæ Bar-
baræ, viri Amplis: Dn: Ioa-
chimi Gribenij Patricij
Berlinensis, relictæ
filix, &c.

Decantata

à

M: VALENTINO ET IOACHIMO POLTINGIS
Patruel.

CHRONODISTICHON.

LYCebis octavâ FebrVI, BLanCbVrgICa pVbes
Barbaræ & AEMILIO prospera qVæqVe sonat.

Proverb. 19. v. 14.

AEDes & DIVItæ à parentibVs
A soLo IchoVa VXor prVDens,

Anno Christi M. D. XC.

27.
29

Ex donatione An
17 Feb. Anno